



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5 Fructus canonicatum pro possessione tradenda indebitè percipientes,  
quam poenam incurrant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

**P**LURA de ijs, quæ ad Episcopos, parochosque pertineant, & quæ circa ecclesias præstanda sint, hæcenus discussimus. Cæterum, quia in beneficiorum collatione, si quid peccatur, maximè admittitur piaculum, multaque inde, tanquam ex male jacto fundamento, ecclesiarum, sacrarumque rerum oritur pernicies, de hac re nonnulla digna, quæ notentur, adducam.

Beneficia ecclesiastica † non possunt licitè sine canonica collatione obtineri, *cap. 1. de reg. jur. in 6. & Dom. in cap. non potest, de præb.* Vnde pluribus ex causis, tam collatores, quam provisores pœnas incurrunt.

Primo, † collatores beneficiorum nihil pro collationibus, aut institutionibus, vel confirmationibus accipere possunt, alioquin tam dantes, quam recipientes, simoniæ pœnam incurrunt, *cap. presbyter, cap. quos constituit, 1. q. cap. sanctum, 7. quæst. 1. cap. tuanos, cap. in tantum, in fin. de simon. & conc. Trid. cap. 14. de resor. sess. 24.* Eandem que pœnam incurrunt, eligentes, nominantes, † præsentantes, & possessionem tradentes cathedralis ecclesie, vel beneficii, canonicatum, præbendarum, vel partis proventuum, seu distributionum quotidianarum, *cap. non satis, cap. cum Ecclesia, de sim. c. cum super, de confess. & conc. Trid. c. 14.* Nec fructus primi anni, vel quidquam aliud pro possessione tradenda percipi potest, etiam vigore statuti jurati ab habente auctoritatem facti nisi † statuo caveatur, quòd dicti fructus fabricæ ecclesie aut sacristie, vel alio pio loco applicentur, quo casu dimidia fabricæ, sacristie, aut pio loco, & alia

dimidia beneficiato debetur: † contrafacientes verò capitula interdicto ecclesiastico subijciuntur, & singulares personæ sententiam excommunicationis incurrunt, à qua nisi in mortis articulo, præterquam à Romano Pontifice absolutionis beneficium obtinere non possunt, ut in constitut. Pii V. incip. *Durum nimis*, &c. in Bull. Roman. cap. 106. qua attentata, cujusvis statuti prætextu, etiam ex urgente causa facti pro bono ecclesie, non potest canonicus novus cogi aliquid solvere pro debitis antiquis suæ ecclesie, etià pro reparatione, aut melioratione factis, ut per sacram congregationem fuit decisum *super eodem cap. 14. de res. sess. 24. ut in decis. sub. tit. Mediol.*

Sed, si in aliqua ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, † quibus quis fuit canonicus, fructus canonicatus sint hæredum antecessoris, dictus casus non comprehenditur in dicto decreto concil. nec constit. Pii V. *ut super eodem cap. 14. in decis. 2. sub tit. Mediolanen.*

Pro beneficijs † obtinendis omnis pactio omnisque conventio debet omninò cessare, *cap. fin. de pact. c. tuanos, de simon. & cap. quam pio, in fin. 1. quæst. 2.* ita, quòd pro pinguiori & digniori beneficio medio favore tertij obtinendo, non potest quis promittere de dimittendo, vel renunciando minorem, vel minus dignum. Nec etiam inter partes, aut alias personas, licet favor non requireretur pro obtinendo beneficio, potest sine scientia, atque consensu Pontificis promitti de alio beneficio alteri renunciando, vel reservationi pensionis consentiendo absque incurfu simoniæ, *cap. quæsum de rer. perm. Tolet. in instruct. sacerdot. cap. 5. post med. l. 5.* qua etiam committitur in iure ad beneficium competente cessionalem.